

Petrus de Vinea

*Ep. V 65 (Porrecta G. et
E., fidelium nostrorum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 65 (Porrecta G. et
E., fidelium nostrorum...)*

1246?

Eidem, de procuratore ordinando, qui iura curiae tueatur in causa, quam sibi committit.

1. Porrecta G. et E., fidelium nostrorum, culmini nostro petitio continebat, quod cum haberent et habeant quasdam possessiones et terras laboratorias in confinibus ..., quas ipsi eorumque antiqui per longissima tempora tenuerunt et possiderunt pacifice et quiete, nullam ex fructibus eorundem partem curiae nostrae uel alicuius personae priuatae reddentes, Pandulphus de Fasanella, proditor noster et tunc in ipsis partibus sacri Imperii uicarius generalis, sub pretextu cuiusdam inquisitionis dudum factae per procuratores nostri demanii, auctoritate propria et omissa iustitia, quartam partem fecit auferri, in ipsorum G. et E. graue preiudicium et iniuriam manifestam. 2. Vnde, cum pro parte ipsorum fuerit nostrae celsitudini supplicatum, ut eis prouidere super hoc de nostrae clementiae gratia dignaremur, nos eorum supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuae mandamus, quatenus super predictis omnibus, prius tamen per te aliquo ydoneo et fidei procuratore statuto, qui curiae nostrae iura diligenter et fideliter tueatur, aduocato quoque fisci nostri presente, inquisitionem facias diligentem; testes, probationes, et instrumenta ipsorum audias, dictam causam sufficienter instructam cum nominibus procuratoris et aduocati fisci nostri sub tuo sigillo nostrae curiae transmissurus: certo et peremptorio termino partibus eisdem prefixo, quo cum ipso processu se nostro conspectui representent.